

MELISSA


EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

VIDEAMUS QUID FIAT...



... in nostra Europa, iterum bellicosa:
num homines e sua historia aliquid
addiscere possunt?

☞ p. 2

... septimo decimo saeculo in insulis
Philippinis: ubi paulatim apparet illa
navis thesauris referta, quam ex
fasciculo praeterito certe recordamini.

☞ p. 4

... in Africa, unde nobis allata est
terribilis relatio, a teste oculato prolata,
de viro c.n. "Ebola".

☞ p. 8

... Mediolani, ubi ambulant miri
anarchistae...

☞ p. 10

... sub aqua: vix imaginari possumus,
qualia animalia ibi vivere possint.

☞ p. 11

... in universitate Lovaniensi: in quam
inter alumnos irrepsit Latinitatis vitae
propugnator!

☞ p. 14

NUMQUAM ITERUM...

Per sex menses usque ad mensem Maium huius anni patuit Bruxellis magna expositio, cui titulus « Viginti annos natus eram anno 1945 ». Propositum videbatur esse multis monumentis monstrare quibus eventis a primo bello mundano ad alterum perventum esset et quales fuissent huius belli vicissitudines usque ad exitum Hitleri.

Laudabile propositum, meo sensu, si ageretur de recogitando quibus de causis tanta clades Europaea fieri potuisset. Sed iam in aditu comperi expositionis instigatoribus fuisse propositum speciale. Distribuebantur enim paginae diariorum et Francogallice et Nederlandice scriptorum, ubi legebatur expositionem instructam esse in maximam laudem democratiae; inter alia scriptum erat hoc: « Democratia est unica via ad pacem universam ». Hoc iunioribus potius inculcare volunt politici nostri quam eos veritatem docere.

*
* *

Ego, anno 1945, quattuordecim annos natus eram; quae aetas armorum nondum capax non impedit quin bellum viverem maxima oculorum animique attentione. Educatus eram in odio Germanorum. Nam pater meus iam quattuor annos degerat in fossis ad Isaram primo bello mundano. Studia medica finiverat anno 1914, sed volumen eius thesis, quae pertinebat ad aggregationem universitariam obtinendam, deletum est incendio pulcherrimae bibliothecae Lovaniensis a Germanis militibus excitato. Anno 1940, ineunte bello in Belgica, magna vetustissimaque domus aviae meae una cum tota media urbe Nivigella (v. Nivelles) diruta est bombis Germanorum; ipsa avia cum familiaribus e ruinis casu potuit effugere atque gregatim cum turba concivium pedibus per vias ad occidentem versus diu vagata est. Etiam Bruxellis bombae de aeroplanis sparsim emissae sunt. Una ex eis prope domum nostram disposuit necavitque unum e collegii mei condiscipulis. Amita perterrita suasit patri meo ut autoraeda vecti in Aquitaniam confugeremus ad quendam familiae nostrae amicum.

Fuit longum dirumque iter per Francogalliam septentrionalem. Lentissime progrediebamur in viis inferis fugientibus vehiculis. Praeterea infinita raedarum series saepe perturbabatur aeroplanis tela mittentibus. Incolumes tamen in Aquitaniam pervenimus. Post tot bellica horribiliaque

spectacula inveniebamus regionem tranquillam, uberem, omnibus frugibus abundantem. Duos menses ibi degi quasi in paradiso.

Confecta Francogallia, redeundum erat in patriam a Germanis occupatam. Amita suam domum invenit expilatam, quae nonnullas septimanas nosocomium militare facta erat. Parentes nostram domum invenerunt a militibus occupatam, qui ibi nobiscum complures menses manserunt.

Post desperationem initii belli, spes liberationis paulatim iterum orta est. Domi chartae geographicae in parietibus erant affixae, ubi cottidie conspiciebamus Germanorum regressus in Russia et, post Americanorum Anglorumque expositionem in Normanniam, progressus eorum exercituum ad nostram patriam.

Ad finem belli urbs Bruxellae iam liberata multas bombas volantes (V2) vel rocheta propulsas (V1) passa est. Una cecidit in loco inter domum et collegium sito, quem paucis minutis ante calcaveram. Fere omnia vitra et collegii et domus fracta sunt. Nemo familiae meae inter bellum periit; infeliciter non idem dicam de proximis. Quidam amicus patris advocatus captus est propterea quod domi suae iuvenes Iudaeos celaverat et in carcere mortem obiit. Frater minor natus cuiusdam ex amicis meis, qui ad manum iuvenum hosti obsistentium pertinebat, captus est crudeliterque ad exitium cruciatus in aedibus Bruxellensibus Secretae Politiae¹ Hitlerianae (v. Gestapo).

Huius generis belli memoriae mihi in mente erant confecto bello. Neque annis ante bellum neque per bellum umquam audivi sive e patris ore sive circa me hoc bellum fuisse certamen inter regimina democratica et regimina tyrannica. In mente hominum huius temporis agebatur de bello typice nationalistico, id quod confirmatur ipso nomine Nationali-Socialistico factionis Hitlerianae.

Bene recordor attractiorem frontem patris mei quotienscumque novum Hitleri facinus nuntiabatur; lamentabatur inertiam, impotentiam ignaviamque regiminum democraticorum Francogalliae et Regni Uniti.

Multa post bellum legendo melius intellexi eventa e quibus bellum ortum est. Imprimis res publica democratica in Germania post primum bellum mundanum instituta inhabilis fuit ad actuositatem oeconomicam suscitandam; homines carebant munere, iuvenes indigebant spe, vix supererant negotia. Nisi talis fuisset democraticae



Germaniae condicio, numquam factio Hitleriana tot suffragia allicere potuisset neque imperio potiri. Certe ei erat propositum maleficum, cui artificiose curavit ut maior multitudinis pars consentiret. Quod tamen propositum non erat absconditum sed longe lateque divulgatum. Etiam non defuerunt in Germania homines magni ponderis, qui huius regiminis insaniam inire negarent, vel qui vicinas nationes monerent de periculo imminente si nulla Hitlero obstaret. Etiam Mussolinius Italiae dux de hoc periculo monuit.

Sed regimina democratica illius temporis patiebantur vehementes dissensiones intestinas inter dextras et sinistras partes; in sinistris actuosior erat factio communistica, cui exemplo erat Russiae regimen communisticum, hominum laboriosorum paradisi. Factio fascistarum, cuius Mussolinius in Italia erat auctor et cui signum datum erat Romanorum lictorum fasces, ab origine infesta erat communistis. Quare regimina democratica, impellentibus sinistris partibus, noluerunt cum eo habere commercium, unde factum est ut repulsus paulo post fieret Hitleri socius. Cum anno 1936 in Hispania ortum esset bellum civile, regimina democratica Francogalliae et Regni Uniti faverunt Hispanico regimine democratico, in quo dominabantur sinistri. Cui tamen tam parvum auxilium praebuerunt, ut post trium annorum crudelissimum bellum superaretur a partibus dextris, quibus praeerat generalissimus Francus.

Multum sudoris fuit sinistris partibus cum inopinanter Stalinus pactionem fecit cum Hitlero. Subito Stalinus, communistarum papa, hostis factus erat nationum democraticarum! Harum praecipuae, i.e. Francogallia et Regnum Unitum, Tzechoslovakiam ex pacto defendere debebant. Infeliciter famosa est animi demissio principum administratorum Francogallorum Anglorumque qui Hitlerum Monachi convenerunt atque ibi contra pactum siverunt Tzechoslovakiam dilacerari. Haec letalis ignavia non impedivit quin isti principes domum reversi gaudentis multitudinis acclamationibus plane comprobarentur.

Idem iam non ausi sunt facere hi principes cum paulo post, anno 1939, Hitlerus Poloniam invasit, quacum etiam erant pacto coniuncti. Post ignaviam tunc demonstrabantur imprudentia impotentiaque regiminum democraticorum. Polonia sine sociorum auxilio celeriter devicta est et, res mira, inter Hitlerum et Stalinum divisa.

Bene recordor omnium indignationem in Belgica cum, vergente anno 1939, nuntiatum est Stalinum Finnam sine ulla causa aggressum esse. Toto pectore una eramus cum Finnis, qui videbantur mirum in modum resistere ingentibus hostium copiis. Insequenti anno Francogallorum Anglorumque exercitus intra paucos dies a Germanis fugati sunt...

Hoc modo finivit bellum vere Europaeum. In

longum etiam finis erat potentiae Francogalliae atque Regni Uniti. Oportet iuvenes nostri temporis recordentur regimina democratica bellum impedire non valuisse.

Restabat ut Hitlerus sua megalomania ipsam Germaniam, tertiam praepollentem Europae nationem, ad necem duceret. Secundum consilium suum iam pridem divulgatum, Russiam aggressus est et fortasse vicisset nisi eodem anno Iapones bellum intulissent Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis; propter pactum inter Germanos et Iapones factum, Hitlerus etiam Americanis bellum indixit.

Tota belli scaena mutata est. Bellum imprimis Europaeum tunc factum est mundanum. Democratia Americana, quae democratiis Europaeis in bello contra Hitlerum auxilium non tulerat, nunc bellum gerebat et contra Iapones et contra Germanos; ipso facto Americani etiam fiebant Stalini socii! Brevi tempore apparuit quantam potentiam conferret rei publicae Americanae incolarum multitudo. Plures erant Americani quam una Germani, Francogalli et Angli. Unum regimen omnes rei publicae opes viresque regebat. Industria Americana intra breve tempus ingentem armorum copiam fabricari valuit, quibus etiam instructi sunt exercitus Russorum et Anglorum. His cunctis oppressus, Hitlerus una cum Germania periit...

Hic erat exitus belli: tota potentia in Europa occidentali transierat in Americanorum manus. Stalinus, qui inexpectate victor factus erat, totam Europam orientalem in suam dicionem redigere voluit, id quod sivit democratia Americana.

*
* *

Huius generis exempla diutius afferre possim, quibus patet regimen democraticum non esse tutamen contra bellum. Hac in re non sufficit repetere: « Numquam iterum »; semper valet vetus proverbium: « Si vis pacem, para bellum ». Pax inter homines non est status normalis; potius est aequilibrium instabile.

Gaius LICOPPE

1 Politiae, ae: hoc vocabulum, quod apud Cassiodorum significat regimen, hic adhibemus sensu moderno (Fr. Police, Th. Polizei, Angl. police).

DE NAVE SANCTI DIDACI (II)


NARRAT GAIUS LICOPPE

In fine primae huius narrationis partis rettuli Olivarium Noortium¹ suum vicenavarchum reliquisse in insula deserta. Novo vicenavarcho fatum non fuit melius. Nam, vix transito Magellanico Freto, navis vicenavarchi adversa tempestate a ceteris separata est atque disparuit. Duae tantum supererant naves, minor c.n. «Eendracht» (i.e. Concordia) et maior c.n. «Mauritius», ubi manebat navarchus Olivarius.

Haec navis nomen «Mauritii» acceperat in honorem Mauritii Nassovii (v. de Nassau), qui tunc erat tutor (v. Stathouder) Provinciarum Unitarum Germaniae Inferioris (res publica sui iuris modo facta, hodie Nederlandia appellata). Mauritius Nassovius princeps Aurantius (v. d'Orange) comprobaverat electionem Olivarii Noortii, qui classem duceret, atque ei litteras patentes dederat, ne pro pirata haberetur si quondam caperetur.

His litteris bene demonstratur quanto odio Portugali Hispanique ceteris Europae nationibus tunc temporis fuerint propterea quod omnes divitias in longinquis regionibus sive modo inventis sive inveniendis natas sibi solis reservabant. Partem harum litterarum hic ostendam scitu dignam. Scribit Mauritius princeps Aurantius haec: «... Nos has naves bene instruximus, quas mittimus ad litora Asiae, Africae, Americae insularumque Indiarum Orientalium ut cum harum regionum incolis foedera feriamus atque mercaturas faciamus. Sed cum certiores facti sinus Hispanos Portugalosque infestos esse popularibus nostrarum provinciarum atque obstare ne navigent atque negotientur in his locis, id quod contrarium est omni iuri naturali civitatum et nationum, expresse iubemus naves illas insulas petere, impugnantibus repugnare, bellum gerere atque tot ictibus quot fieri potest Hispanos Portugalosque obruere.»

Huius generis litterae ostendunt differentiam



inter piratam et cursarium². Pirata suo iure et pro se ipso praedatur, cursarius pro regentibus suae rei publicae idem agit.


Patentibus litteris firmiter mandatus, Olivarius Noortius imprimis navigat secundum litus Pacificum Americae meridionalis, ubi sperat se quandam navem Hispanicam capturum esse vel praedas esse facturum in Hispanorum coloniis. Sed contra eius spem, Hispani de eius adventu iam diu moniti sunt; aegre recordantur Thomam Cavendish Anglum, tertium orbis terrarum circumnavigatorem, ad easdem oras anno 1587 praestantem navem Hispanicam c.n. Sancta Anna cepisse magnamque praedam fecisse. Quare Hispani classem instruunt, quae in obrepentes naves incidat. Fortuna tamen Olivario favet: navis enim navarchi Hispani in itinere fortuito deprimitur.

Olivarius, qui duas naves onerarias Hispanicas parvi pretii capere tamen valuit, ex captivis comperit classem bellicam in se mitti. Inscius navarchi Hispani cladis, periculum adire non vult; quare statim relinquit oram Americanam oceanum Pacificum transiturus. Brevem stationem facit in insulis Marianensibus, longiorem in insula Guam. Inde solvit ad archipelagus³ insularum Philippinarum, ubi die 16 mensis Octobris a. 1600



In insulis Philippinis

appellit litus orientale Luzoniae, insularum maximae. Eius naves maxime egent aqua cibusque recentibus. Nautae ergo sunt exponendi, sed navarchus timet ne agnoscatur. Quamobrem utitur stratagemate: se introducit ut Francogallum, cui rex Hispaniae mandavit ut mercaturam cum coloniis faceret. Dum nautae scaphis vecti ab indigenis oryzam, holera pomaque emunt atque copiam aquae fontanae secum reportant, Olivarius non timet officarios Hispanos et nonnullos Philippinos in suam navem invitare, ubi vexilla dolose mutavit nautamque quendam vestivit in speciem sacerdotis catholici. Ipse Olivarius, qui Francogallice expedite loquitur, hospitibus facile celat originem suam nec non scopum suae navigationis. Etiam suadet Philippinis ut eum ducant per periculosissimum fretum Sancti Bernardini, quo accessus datur ad medium archipelagus atque ad Manilam.



Manila: media in imagine apparet navis Sinensis, quae statim agnoscitur suis typicis velis striatis.

Quinto die naves Olivarii solvunt atque a Philippinis bene ductae fretum incolumes transeunt novamque stationem faciunt ad insulam Capul, in quam pars nautarum exponitur. Iam pridie capitaneus⁴ Xiron, unus ex Hispanis officariis qui navem Olivarii visitaverunt, terra pervenit Manilam, ubi Philippinarum senatum (v. Audiencia) certiore facit de adventu classis amicae; accurate refert quot homines, quot canones contineat, qualibus armis instructa sit, qualis sit nautarum valetudo.

Dissimulatio tamen Olivarii diu sustineri non potuit. Nam septimo die post Luzoniam primum appulsam, niger nauta, qui antea ad litora Americana captus est, evadit e Mauritio atque terram natando petit, ubi sacerdotes Hispanos monet de vera origine classis Olivarii.

Paucis diebus post hic nuntius confirmatur. Nam indigenae musicum classis natione Anglum comprehendunt cum sit crapulae plenus atque eum in cavea inclusum Hispanis apportant... Furens Olivarius indigenarum vicos praedatur et

igne vastat. Statim solvit Manilam petiturus, de cuius situ eius incauti hospites eum certiore modo fecerunt...

Videamus nunc quomodo res se habeant apud Hispanos in insulis Philippinis, dum naves Nederlandicae appropinquant. Altera maioris momenti persona huius narrationis est producenda: Antonius de Morga, quem rex Philippus II nonnullis annis ante creavit consiliarium et locum tenentem generalem Philippinarum gubernatoris. Anno 1600 gubernator est Franciscus




Antonius de Morga

Tello, quocum Antonius de Morga habet consuetudinem ambiguum. Gubernator enim rem suam plus curat quam rem publicam. Antonius de Morga contra est bonus curator, aeris publici parcus. Iam exegit ut duodecim milia Sinensium expellerentur; timebat enim incrementem potentiam eorum coloniae. Feliciter regentes imperii Sinensis non curant populares suos extra fines vitam degentes. Non eodem modo se gerunt regentes Iaponiae. Nam quotienscumque Hispani piratas Iapones, qui litora infestant, exterminare conantur, regentes Iaponiae irascuntur.

Praeterea Antonius de Morga bellum gerere debet contra gentes ad Islamismum conversas, «Moro» appellatas, quae meridionalem insulam Mindanaum incolunt. Inde solent alias insulas praedari indigenasque in servitutem abducere.

Statim ac fama de adventu classis hostilis Manilam perfertur, magnus oritur timor. Nam hoc ipso tempore exercitus classisque Hispanorum longe absunt, cum in insulis meridionalibus gentes «Moro» impugnent. Senatus statuit urbem eiusque portum c.n. «Cavite» munire atque classem instruere. In portu «Cavite» una tantum magna navis stationem facit; est navis oneraria generis quod Hispanice appellatur «galeón»; de Sancto Didaco nominatur (Hispanice: San Diego). Praeter hanc etiam adest navis minor de Sancto Hyacintho nominata; pertinet ad quendam Portugalum et modo advenit e Malacca. Praeterea in navalibus hoc ipso tempore exstruuntur tres parvae naves, e quibus duae remigio praeditae, una velifera solum. Nulla ergo bellica navis est in promptu.

Quae cum ita sint, Antonius de Morga senatui suadet ut ipse praeficiatur classi instruendae. Statim proficiscitur ad portum «Cavite» ubi die noctuque res diligenter administrat. In navalibus celeriter perficiuntur duae naves remigio praeditae et tertia parva navis cui nomen datur Sancti



Haec charta geographica delineata est in Nederlandia ineunte XVII saec. a Iohanne van Doetechum. Omnes inscriptiones sunt Latinae. In media charta legitur "Archipelagus Lazari", unde apparet "archipelagus" sensu hodierno iam adhiberi. Geographia oceani Pacifici tunc temporis est valde imperfecta. Auctor e.g. nescit "insulas Sancti Lazari" primum nomen fuisse insularum Philippinarum; quare duo archipelaga delineat.



Bartholomaei. Antonius de Morga navem Sancti Didaci, quae ad duos negotiatores pertinet, imperat; eam navemque Sancti Bartholomaei ad usum bellicum instruendas curat. Iubet cannones depromi e castellis vicinis, cum non satis multi in navalibus supersint ad naves armandas.

Haec omnia fiunt intra unum mensem. Dum portus «Cavite» munitur, naves Olivarii Noortii sinum Manilensem iam petiverunt, in cuius ore stant atque impune intercipiunt naves mercatorias, quae periculi insciae Manilam appropinquant. Iam duas Sinenses naves expilavit Olivarius, sed praedam multo copiosiore expectat. Nam a magistro unius e navibus Sinensibus comperit magnam navem regalem Sancti Thomae a Mexico velificantem Manilam mox adventuram esse, quae affert nummorum argenteorum ingentem copiam, id est pretium duorum annorum mercaturae Manilensis. Si capitur, vix vitari poterunt ruina terminusque coloniae Philippinarum...

Instructa classe, navarchus est designandus. Re vera Manilae non desunt officarii experti navaliumque rerum periti. Sed Antonius de Morga putat hanc occasionem sibi non esse praetermittendam. Ipse, si navarchus fit, magnam gloriam capere potest; postea rex pro meritis iam non negabit eum in Mexicum transferre, id quod adhuc frustra petivit. Quamquam navalis proelii omnino est imperitus, omnibus dolis valet Philippinarum gubernatori suadere ut eum navarchum creet... quod tamen gubernator non ausus est facere nisi secreto!

Diu tamen non latet nuntius. Tanta est officiariorum indignatio, ut gubernator unum ex eis creet vicenavarchum, Iohannem de Alceda, qui minorem navem Sancti Bartholomaei regat. Est vir belli peritissimus sed Antonio de Morga maxime infestus.


Omnibus paratis, tempus est hostis aggrediendi. Circiter trecenti milites vel mercenarii in navem Sancti Didaci imponuntur, quibus se adiungunt centum et quinquaginta nobiles officarii: nimia multitudo pro navis capacitate. Sacerdos nomine Iohannes de Gutierrez mirum in modum rem narrat: admiratur splendor vestes uniformes militum et officiariorum eorumque arma nitentia: scuta, loricas, tunicas ferreas, galeas auratas plumisque ornatas. Hos milites comparat cum exercitu Iohannis Austriaci, quam noverat cum juvenis participaret famosum proelium Naupacti.

Classis Antonii de Morga, quae constat e maiore nave Sancti Didaci, minore nave Sancti Bartholomaei et nonnullis scaphis indigenis Sinenses mercenarios vehementibus, solvit e portu Cavite die 12 m. Dec. a. 1600. Cum perspeculatores compertum sit hostium naves noctu ad ancoram

consistere non longe ab ostio sinus Manilensis, classis Antonii de Morga stationem imprimis facit ad parvam insulam c.n. Maribeles in ostio sinus Manilensis sitam.

Die 14 ante lucem classis solvit ad hostium naves incursandas, quae paulo post solis ortum adspiciuntur ad ancoram adhuc consistentes. Navis Sancti Didaci appropinquat Mauritium, navem Olivarii Noortii, eam cannonibus ferit et statim offendit. Milites in Mauritium transcendunt. Incohatur pugna atrox, dum altera minorque navis Sancti Bartholomaei alteram minoremque Olivarii Noortii navem c.n. Eendracht persequitur.

Sex horas decertatur. Antonius de Morga de stega non desinit suos hortari, sed inopinanter monetur suam navem perforatam esse et aqua gradatim impleri. Causa videtur esse quod navis sutinere non potuit suorum ipsius cannonum quassationem, cum carina aptata non esset ad res bellicosas sed solum mercatorias. Eodem fere tempore in nave Olivarii Noortii oritur incendium. Quo casu coactus Antonius de Morga iubet retinacula, quibus naves sunt colligati, rumpi atque conatur solutam navem Sancti Didaci litori proximae insulae Fortunae illidere, antequam deprimatur.



Infeliciter post mille circiter passus navis demergitur una cum militibus. Navarchus ultimus relinquit navem brachio firmiter tenens duo vexilla ab hoste capta. Tantum centum circiter homines navem relinquere valent atque cum navarcho conantur proximam insulam Fortunae petere, dum hostes, qui incendium Mauriti celeriter oppresserunt, eos telis obruunt; supersunt... rari nantes in gurgite vasto!

*
* *

Hanc proelii navalis narrationem fecit ipse Antonius de Morga; est a Philippinarum gubernatore Francisco Tello comprobata, sed vehementer improbata a vicenavarcho Iohanne de Alceda. Inde per tres annos magnae controversiae ortae sunt

Manilae inter fautores et adversarios Antonii de Morga. Qui tamen in fine valuit regi Hispaniae persuadere se vera narravisse. Ad altiora munera efficienda vocatus est, quibus imprimis in Mexico functus est, postea Quito in urbe capite Peruviae, ubi senatus fuit praeses.

Olivarii Noortii magna fuit gloria, quae Philippinis miraculo elapsus incolumis Roterodamum intravit quarto anno post discessum. Gloriabantur Nederlandi quod unus e suis popularibus quartus erat, qui globum terrestrem circumnavigare valuisset. Praedam tamen cuiusdam pretii nullam secum reportabat. Praeterea e ducentis nautis et quinquaginta in classem anno 1598 impositis, Roterodamum revertebantur solum octo... In libro⁵, quem paulo post de suo itinere conscripsit, Olivarius Noortius etiam narravit pugnam Mauritii cum nave Sancti Didaci fuisse longam atrocemque. Quo certe augebat suam gloriam...

De veritate huius narrationis, quae sola valuit per quattuor fere saecula, cur exploratores subaquanei nostri temporis dubitaverint, in proximo fasciculo narrabo. ☪

ADNOTATIONES

- 1 In textibus illius aetatis Francogallice vocatur «Olivier de Noort», Latine sive Oliverius a Noort sive Olivarius Noortius.
- 2 Cursarius, ii: cfr J.F. NIERMEYER, *Mediae Latinitatis Lexicon Minus*, Leiden 1976. Fr. corsaire, Th. Seeräuber, Angl. corsair.
- 3 Archipelagus, i n.: adhibetur ut nomen commune, quo significatur quidam grex insularum, iam ineunte XVII saec. in charta geographica Nederlandica a Iohanne van Doetechum composita (cfr imaginem p. 6).
- 4 Capitanus, i: Fr. capitaine, Th. Kapitän, Angl. Captain. Etymologia vocabulorum modernorum est Latina. «Capitaneus» est adiectivum serae Latinitatis unde confecta sunt vocabula vernacula. Necessarium videtur formam substantivam, quae est «capitanus», adhibere ad hoc vocabulum nostris temporibus maxime usitatum exprimendum.
- 5 *Description du pénible voyage d'Olivier de Noort*, Amstelodami 1602.

DE PESTILENTIA AB EBOLA NUNCUPATA IN URBE ZAÏRIANA C.N. KIKWIT

REFERT IOHANNES MARIA LECOMTE S.J.

Virus eiusdem formae, annis prope viginti elapsis, iam saeviit in provincia Zairiana Aequatoris. Tunc magis quam centum homines perierunt. Ei morbo nomen «Ebola» tunc dederunt, e rivo in regione affecta fluenti.

Incertum est quomodo contagium hoc nunc in regionem Kikwitensem revererit. Homo quidam aegrotans, cum in urbis nosocomio a duobus nosocomis examinatus esset, mortuus est. Nosocomorum alter, et ipse aeger factus, domum reversus, ibi interiit. Alter quidem in nosocomio curatus est; sectione chirurgica in eo facta, haemorrhagia interna toto sparsa corpore manifestata est. At aegrorum ministri, cum mortuo collega, omnia rite purgavissent defunctumque de more sepelivissent, omnes eodem morbo sunt affecti: medicus, nosocomi, nosocomae, sorores religiosae duae... Unde crevit anxietas, praesertim cum altera sororum quidamque nosocomus obire coeperunt. Doctor medicus Kipasa, administrator nosocomii Kikwitensis, professorem Muyembe universitatis studiorum in Kinshasa sitae de ea re

consuluit. Ambo naturam morbi intellexerunt: viralis haemorrhagica febris, seu virus ab Ebola nuncupatum.

Ut primum contagii natura intellecta est, specialistae ab Organizatione Mundana Sanitatis (O.M.S.) advenerunt, officinam investigationis et instrumenta necessaria secum afferentes. In urbe ipsa, communitates religiosae et sic dicti «operatores oeconomici» seu negotiatores sponte convenerunt ut primis protectionis et curationum expensis operam ferrent. Mox aeroplanis medicamenta cautelaque instrumenta allata sunt. Tutamenti imprimis instrumenta, quoniam, eheu, contra virus ipsum desunt medicinae.

Incubationis vario lapso tempore, patescit morbus ardentis febris impetibus, nausea et vomitibus, abdominis doloribus aliisque signis. Implacabile est malum, aliquibusque diebus peractis, haemorrhagiae seu sanguinis fluxiones internae incohantur quae aegrotantem magnis doloribus ad mortem perducunt. Simul ac febres apparent, contagiosus fit aegrotus. Quae contagio non fit per aerem sed physicis intimis contactibus,



ut sunt cum omnigenis humani corporis excrementis: sanguine, saliva, defectionibus, vomitis, seminibus et huius modi ceteris. Cutis quamvis sanae solus contactus cum his excrementis morbum diffundere potest. Hanc rem, ei qui in initio contagionis primos curaverunt aegros, calamitose nesciebant. Unde factum est ut circiter quadraginta homines e collegio medicali urbis modo correpti iam perirent, in quibus sex sorores Italianae a Pauperibus nuncupatae, quae a plurimis annis in nosocomio Kikwitensi ut nosocomiae dabant operam.

In nosocomiis, consilia capta sunt ut aegrotantes maxima cum cura ab aliis secluderentur. Qui eos curant vel victum afferunt, speciales vestes induere debent, orisque lintea et manicas. At in civitatis insulis et in vicis, quot homines aegros inscietur nulla cum cautela tractaverunt? Aliud maximum periculum est cum quis aegrotus obiit, mos est apud regionis incolas ut familiares omnes cadaver circumstant, plorantes, corpus tractantes totum diem totamque noctem usque dum defunctum in locum humationis efferant. Qui mos antiquior, cui maxime sunt studiosi, totam familiam in vitae discrimen his circumstantiis iam inducit. Sed per plures hebdomadas, cautela consilia a multis, praesertim a rudioribus, non satis nota fuerunt.

Eis, qui morbo correpti sunt, nullum est medicamen. Interdum corporis naturale robur malum superare valet, sed raro. Notandum est hoc contagium populum iam longa alimenti egestate laborantem et ieiunio fameque debilitatum aggressum esse. Plurimi in civitate iam a multo tempore nonnisi semel in die cibum sumendum habent. Sic fit ut aegrotantium octogenaes centesimae ad mortem definiantur. Quae cum ita sint, medicorum primum opus monendi est populum ut diversa cautela consilia sedulissime sequatur, novosque aegros, nulla mora interposita, ne domi abdant, ubi totam familiam contaminandi periculum est, sed in nosocomium cito deferant, quo secludendi sunt.

Periti medici Americani Europaeique iam advenerunt ut originem huius viri perquirent, qualis ea sit, utrum e quibusdam simiis ut primo putatum est, an ex aliis animalibus. Varia quoque fragmenta cum ex humanis tum ex animalibus sumpta ad virologorum studiorum centrum mittuntur in urbem Atlantam in Foederatis Civitatibus Americanis sitam, ea spe ut accuratae pervestigationes pestilentiae originem ostendant, viamque forsitan patefaciant ad idoneam medicinam inveniendam. Sed praesenti tempore nullum aliud adest consilium, nisi ut cautelam prudentiamque agant omnes, ita ut morbus iste pessimus in civitate Kikwitensi coangustatus maneat, neve in alias spargatur regiones.

Ceteroquin, quamquam apud urbis incolas timor non deest, omnes mire aequo manent animo,

opera consueta agentes, qui ad negotia, qui ad agros circa urbem positos. Scholae tantum propter securitatem tuendam clausae sunt. Qui morbi videntis ignotus per civitatem transiret, nihil de hac calamitate intellexeret, nisi forsitan miraretur quod iam nemo ut quendam salutet, ei manum porrigit.

*
* *

[Verba, quae sequuntur, die 18 m. Iunii huic symbolae sunt addita].

Cum aliquot dies in urbe Kinshasa degerem, mihi contigit ut quosdam sodales e Kikwit provenientes invenirem, qui et alias res de contagio ibi saevienti narraverunt, quae nuntiis nuper vobis missis utile addi possunt.

Cum in nosocomio nonnisi tres aegroti remansissent, putaverunt medici morbum iam domitum esse. Sed repente novi aegrotantes apparuerunt. Ut casus bene intellegatur, indolem plebis, praesertim eius partis minus exultae, comperire necesse est. Maxime eis durum est aegrotos in nosocomium secludendos cito deferre, cum postea eos vivos iterum videndi minima remaneat spes. Durius etiam apparet defunctos non posse maiorum more plorare et sepelire. His addendum est apud plebis minus exultos nudam veritatem de origine mali nimis simplicem videri. Menti suae magicae obsequentes, alias rationes causasque praeter eas a medicis allatas requirunt: virus nullo modo exstare sed ipsos medicos, postquam aegrum in nosocomio suo secluserunt, eos veneno interficere. Imo in quibusdam diariis ipse legi morbum ab Americanis esse sparsum ut populum Zairianum crudeliter popularent, sive ut suas scientificas investigationes pergerent.

Quibus omnibus causis factum est ut, cum primum morbus minui visus est, rationes cautionis cautelaque a medicis impositas male ferre coepissent. Imo auxilios sanitarios, quorum opus a civitatis regentibus iussum erat ut per vicos insulasque urbis novos aegrotantes perquirent cito in nosocomium deferendos, mortuosve statim inhumandos asportarent, aliquibus in locis male receperunt, eos lapidum lignorumque ictibus repellentes. Mulier quaedam, quae in parochia sua et catechista erat, contagio correpta, postquam defuncta est, familiares eius sanitarios auxiliares mortuae cadaver auferre volentes, infensi facti, cultris in manibus constrictis, impediunt. Unde tota familia contagio est correpta. Alius etiam casus narratus est de pastore quodam protestantico, qui fidelibus suis ausus est praedicare morbum istum a Deo in catholicos esse missum tamquam poenam, eo quod fidem non

haberent. Sibi fidem habenti nullum esse periculum. Tunc audacter morituro cuidam appropinquavit ei que manus imposuit. Aeger interiit, at quindecim post diebus, et ipse inhumatus est pastor.

His casibus cum violenter sint commoti, sperandum est habitatores urbis melius esse intellecturos rationes cautelae sedulissime esse servandas. Sed nosocomium denuo aegrotis impletum est, quibus minima aliquando egrediendi

spes manet, medicisque totum opus homines monendi aegrotantesque perquirendi sicut in initio mali iterum suscipiendum est.

Ut haec addenda redigerem me adiuvit amicus doctor veterinarius Cornelius Muhunga, Kikwitensis, Melissa sodalis. Ipse medicis qui ibi laborant opem tulit, praesertim in pervestigationibus faciendis num virus Ebola in sanguine animalium circa homines viventium apparere posset. ☛

RES CURIOSA...

NARRATA A IOHANNE CAROLO ROSSI



SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

Exeunte mense Iunio Melissa moderatoribus contigit sodales Latinos Iohannem Carolum Rossi Claudiumque Piga Mediolani convenire, a quibus ut solet amicaliter luculenterque recepti sunt. Hac occasione data Iohannes Carolus Rossi narrationem eis proposuit, quae infra divulgatur.

Convenientibus nobis in Circulum Mediolanensem qui ab animorum cultura appellatur - vulgo «Casa della Cultura» audit - quo in circulo abhinc nonnullis annis Gaius Licoppe et Caelestis Eichenseer, duo Latinitatis fulmina, a diurnariis de re Latina sunt interrogati, forte fit obviam senex quidam, homo videlicet erraticus ex grege anarchistarum, qui peram male sutam usuque consumptam gerebat. Is, statura mediocri, calvo capite, barba candida et crispa, oculis argutis, cultu incuriosus sed mundus, turmam praesentium compellans - Scitin - inquit - quid sit rei publicae contrarium? - Siquis esse rem privatam respondebat, gratulabundus ei pagellam e pera eductam tradebat atque hilariter vale dicto ad alios sciscitandos discedebat. Pagellam ego quoque accepi, utpote qui recte respondissem, legi et - mirabile scitu - nonnulla in ea verba Latine scripta vidi. «Melissae» lectoribus textum interpretor atque exscribo: verba tamen inclinatis litteris exarata in ipso archetypo Latina esse scitote!

IN MEMORIAM ET IPHIANASSAE ET IORDANI BRUNO

*Tantum Religio potuit suadere malorum
Res privata nihil aliud est nisi privata bonorum
possessio, privata singulorum industria, privata
ac libera mercatorum competitio, privatae denique
hominum vitae, qui inde ab antiquitate propter
militiam, arma civilia, bella pro religionibus
suscepta, permagno numero sunt interempti. Quae
omnia beatum reddiderunt neminem!
Res publica hac nostra aetate nondum est
constituta, sed tunc quidem condi poterat, quum
homines uno tantum instrumento utebantur,
scilicet suapte quisque manu, qua cetera
fabricarunt instrumenta.*

Quid de religione?

Ut unum sint hortabatur nos vir pius.

At unum non sunt. Ergo? Nihil sunt!

Julius Bruno de Jorio


Anarchista ille erraticus non mediocrem nobis praebet materiam ad meditandum... ☛



TRACTATUS DE HYDRIS

SIVE POLYPIS AQUATILIBUS

SCRIPSIT SAMI JANSSON



Textus, quem vobis hodie proponimus, a Thoma Pekkanen nuper missus est, his verbis additis:


« Anno academico nuper finito optimos discipulos Granivici (v. Jyväskylä) habui. Institutio viva et colloquia Latina septimanalia paulatim fructus suos proferre incipiunt.

In colloquiis meis Latinis semestri vernali octo participes habui, qui pro examine de variis argumentis modernis scripta Latina domi composuerunt. Quamquam omnium scripta satis laudabilia sunt, duo tantum ex eis, ne nimium spatium a nostris occupetur, lectoribus Melissa

offerre velim, ut videant, quanta facilitate hodierni quoque studentes lingua Latina utantur.

Sami Jansson, qui de hydris sive polypis aquatilibus scripsit, unum tantum annum et dimidium Latine didicit. Pia Karelahti, quae scriptorem Michaelem Waltari pro argumento habuit, iam tres annos nostra discipula est. »

Nobis autem Melissa praeparantibus, calores aestivi tam fervidi fuerunt, ut... textum aquatilem prius edendum eligeremus tamquam refrigerationem. Ecce tractatus de hydris; proximo fasciculo agetur de Michaele Waltari scriptore Finnico.



Hoc tractatu breviter de forma, moribus atque oecologia hydrarum sive polyporum aquatillum narro. Hydrae parva animalia cavernulata sunt et proxima genere medusis coraliisque. Haec animalia universa coelenterata appellantur. Varia hydrarum genera¹ speciesque existunt et hic generaliter cuncta describere conor. Naturam hydrarum nonnullis picturis illustro.

DE OECOLOGIA

Ubi hydrae vivunt? Exempli causa species Hydra oligactis et Chlorohydra viridissima et Hydra americana vulgo in lacubus et fluminibus Americae borealis reperiuntur². Claram et puram aquam praeferunt. Plerumque sedentes ad plantas aquaticas reperiuntur. Saepe in solitudine vivunt sed interdum plures una sedentes videntur³. Similes hydrae etiam in Fennia vivunt. Ipse quoque eas in aquario habebam.


DE FORMA CORPORIS

Hydrae plerumque animalia minuta sunt: exiliores quam fascis decem capillarum hominis et breviores latitudine maxima pupulae. Sunt tamen quaedam ingentes species⁴. In parte inferiore habent discum quo ad basem et varias res figi possunt. In superiore parte os VI - X tentaculis circumdatum et in parvo tumulo locatum habent. Hoc solum foramen est. Corpus digituli formam habet atque

ex multis parvis cellulis⁵ duplicibus laminatis constat. Hydrae igitur animalia pluricellularia sunt⁶.

Parietes corporis plerumque ex cellulis motionis formati sunt. In exteriori parte per longitudinem, in interiori transverse locatae sunt. Exterioribus cellulis animalia corpus contrahunt et interioribus extendunt. Discus basalis ex cellulis lentum gluten lacrimantibus constat, quocum se in basem figunt. Tales cellulae etiam os circumdant et in ventriculo similes venenum ad praedas solvendas afferunt⁷.

Hydrae etiam cellulas, quae cnidocytes dicuntur, habent. Intra eas parvae capsulae, nematocystae,




DE MORIBUS VITALIBUS



Plerumque hydrae in apto loco tentaculis extendendis sedent et alia praeternatantia animalia praedantur. E.g. daphnias, qui parvi cancruli sunt. Nonnumquam illae bestiolae ipsis maiores praedas devorant. Quotiens tentaculum idoneam praedam attigit, multitudo nematocystarum detenditur. Spiculis intra praedam miseram transverberatis venenum in eam mox torpescentem fluit. Simul voluminatis et glutinosi spirulis alligatur et ad os bestiolae movetur. Deinde cum nematocystis devoratur. Postea intabiles partes per os exspuuntur nam alia foramina non sunt⁹.

Quamquam plurime sedent, hydrae etiam transmoventi possunt. Nonnumquam in aqua fluitantes ad novum locum eiciuntur, ubi se figunt. Circum solum pede repere aut re ipsa stantes transfluere possunt. Aliquando, ut celerius progrediantur, se corpore erecto volutant. Hoc modo fit: primum superiorem partem deorsum flectunt et tentacula ad solum affigunt. Deinde aut pede levato sursum deorsum tentaculis ambulans aut pedem transtorquent ut corpus ita circumvolutent¹⁰.

Hae bestiolae aquatiles duobus modis augentur.



sunt. Hae optime minimae tendiculae appellantur. Liquore plenae cum fibrulis aut re vera tubulis retroversis paratae sunt. Cum tendiculum detenditur, repente protruditur tubulus interior. Itaque, quod interius erat, exterius fit. Nonnullae fibrulae glutinosae sunt, quibus praedae vincuntur. Aliis spicula acria sunt, quibus pellicula praedarum terebrant. Praeda penetrata toxico infuso torpida fit. Cnidocytes praecipue numerosae in tentaculis sunt⁸.




Sub aqua

Generant interdum gemmulam, qua ex matre vel patre soluta postea altera hydra crescit. Paene cunctis speciebus, ut hominibus, duo sexus, virilis et muliebris, sunt. Autumno in latere feminae ovum creatur. Fertilis ipsam a masculo fecundari exspectat. Etiam mas parvum tumulum seminis plenum in latere generat. Saepe vero multi tumuli creantur. Matura semina in aqua exuberant, ut fertile ovum alicubi reperiant. Non igitur necessario inter se umquam occurrunt. Ovo fecundato nova hydra mox evolvi incipit¹¹.


ADNOTATIONES

- 1 E.g. "genus" Hydra, "species" oligactis.
OPERA CONSULTATA:
Schmidt-Nielsen, Knut: *Animal Physiology*, second edition, Prentice-Hall Inc., New Jersey 1964.
Storer, Tracy I. et al.: *General Zoology* (1943), sixth edition (revised), pp. 373-379, McGraw-Hill Book Company Inc., New York 1979.
- 2 Cf. Storer et al., pag. 373.
- 3 Op. cit. 373.
- 4 Op. cit. 373.
- 5 Cellula est minima fungens pars ex quibus viventia constant. Quaedam viventia unicellularia sunt. Storer, op. cit. pp. 47.
- 6 Op. cit. 373 - 374.
- 7 Op. cit. 374 - 375.
- 8 Op. cit. 375.
- 9 Op. cit. 373.
- 10 Op. cit. 376 - 377.
- 11 Op. cit. 378 - 379.



VI. Mas (sive Hydrus)

Femina



VII.

LATINE LOQUI: CUR, QUOMODO, QUANDO?

SCRIPSIT CHRISTIANUS LAES

Amicus noster Christianus Laes, cui plurimum gratulamur quod in universitate Lovaniensi studia maxima cum laude modo absolvit, hunc textum conscripsit ad usum "Exercitationum Linguae Latinae" a professore Ijsewijn institutarum in eadem universitate.

*
* *

Saepe numero evenit ut¹, cum hominibus obviam fiamus nobis ignotis, paululum sermocinemur de otiis nostris atque negotiis, ut narremus quod officium geramus quaeve nobis placeant in tempore subsicivo.

Tunc respondere soleo me studiis palaeophilologicis et animam et mentem dicare; temporibus autem studio surreptis mihi praeter alias res etiam Latine loqui non displicere.

Quo audito alii, fronte contracta necnon superciliis constrictis, talem linguam, utpote difficillimam et vetustissimam, hodiernis temporibus nullo pacto adhiberi posse asseverant; alii futillem autumant hanc rem, neque dignam quae respiciatur.

Hasce opiniones, quippe quae saepiculae satis leviter efferantur neque iuste meritoque enuntiari mihi videantur, hac in dissertiuncula pro viribus meis redarguere conabor.

Linguam Latinam tam esse arduam, tam difficilem ut tantum in hortulo quodam concluso a viris doctissimis adhibeatur et excolatur, hoc - bona venia dico vestra - credant stipites!

Veniat istis in mentem lingua Russica, quae, quamquam sex casibus variisque declinationibus et coniugationibus insignitur, tamen a centum viginti milionibus hominum cottidie usurpatur.

Ut non dicam de linguam Arabica, de linguis Sinica aut Iaponica, quae, mea quidem opinione, linguam Latinam difficultate multo superant.

Quo in connexu saepe memoria repeto illud quod mihi narravit mulier quaedam Norvega: illa in regione gymnasiorum discipulos multo sudore ac labore textus vetustiore lingua Norvegica conscriptos aliquantulum interpretandos addiscere; in insula autem Islandia omnes homines, sive tardo sive acerrimo ingenio praediti sint, cottidie

linguam suam, quae vetustate illi linguae Norvegicae persimilis est, expedite adhibere.

Hoc exemplo luce clarius apparet usum vivum cuiuslibet linguae, dummodo apte nos exerceamus, dum fontes et copia verborum sat supersint, foveri posse.

Ast certe quidem Latine loqui nobis erit difficillimum ac labor revera Sisypheus, si tantummodo id studeamus ut sententias longas elaboratasque prodamus; si statim, neglecta cottidiana exercitatione et praetermissa, novi quasi Cicerones fieri cupiamus.

Brevibus ergo sententiis incohemur, textus antiquos attente evolvamus, sententias utiles memoriae commendemus: diurna (nam nocet nocturna) consuetudine Latine legendi aut scribendi paulatim consequemur id quod intendimus.

Est sane linguae Latinae vocabulorum ubertas; thesaurum dico locupletissimum eumque abundantissimum, quo omnia et antiqua et recentiora necnon recentissima exprimi possunt.

Post enim imperii Romani excidium, temporibus mediae aetatis necnon humanisticis ac recentioribus ingentem proventum operum librorumve Latine conscriptorum effloruisse nemo sane erit quin sciat, nisi forte litterarum historiae omnino ignarus sit.

His addatur usus linguae Latinae nostris temporibus, utputa interdum in rebus ecclesiasticis, necnon in quibusdam libellis periodicis².

Cum tot homines, per tot spatia temporum cogitationes et affectus, nova et vetera Latine conscripserint, ne nobis desint verba apta nulla causa est cur timeamus.

Fieri profecto posse ut Latine loquamur, hisce sententiis sat probatum esse spero. Restat ut paucis verbis utilitatem huiusmodi consilii adumbrem.

Multis disciplinis, praesertim autem palaeophilologiae consensum quendam, ne dicam unitatem, frustra desiderari quod attinet ad linguas adhibendas, nemo sane negabit qui huic disciplinae operam navat vel navavit.

Nunc enim temporis palaeophilologi non tantum id rogantur ut Anglice et Francogallice, ut Theodisce,



Italice et Hispanice calleant vel saltem legere valeant, sed eheu linguis minus notis ac nobis obscurioribus - ut linguae Croaticae vel Dacoromanicae vel Russicae - in fontibus obviam fiunt. Quod ego, cum in studiis epigraphicis versarer non semel expertus sum; devotis autem studiis humanisticis saepius etiam accidere suspicor.

Rebus sic stantibus linguam Latinam auxilium quoddam afferre posse sincere credo. Utrum autem unica, eaque optima solutio sit ad unitatem efficiendam mihi non liquet: primum quod ipsi palaeophilologi in Latine scribendo difficultatibus circumveniuntur, dein quod periculum est ne talia studia Latine exarata quodam modo damnentur ut in parvulo circulo Latine legentium vitam degant.

Sunt et alii qui usum Latinitatis vivae tam intra quam extra scholas propagare cupiunt, quibusque cordi est defendere linguam Latinam ut novam quandam linguam mundanam, quae hodiernarum linguarum principalium necnon linguae Esperanticae partes agat.

Et certe quidem Latina lingua, fundamentum totius cultus civilis Europae, neutri parti vel neutri linguae favens, optime hoc officio fungeretur, quamquam timeo ne hoc propositum nunc temporis et etiam in posterum variis de causis mera utopia sit...


Discemus ergo Latine loqui propter... Latinitatem ipsam!

Consentiunt enim viri docti - et non sub iudice lis est - usum quendam activum pernecessarium esse ad quamlibet linguam funditus cognoscendam.

Quam ad scientiam acquirendam si palaeophilologi, quin etiam omnes quibus lingua Latina cordi est, non tantum scribendi sed etiam loquendi exercitatione sese dederunt, illi, credo equidem, oleum et operam non perdent!


His dictis, lector carissime, suntne omnia quae dicenda sunt de Latine loquendo perspicua et luce clariora? Minime vero.

Imprimis nobis cavendum est ut idiomatice loquelam Latinam proferamus, ne Francogalli Francogallicis, Germani Theodiscis structuris utantur cum Latine loqui conentur. Laboriosa ergo interdum res Latine loqui, neque difficultatibus destituta.

Si quis autem me labantem, haesitantem, titubantem in Latine loquendo nimis severe vituperat, recordetur illud Ovidii « ut desint vires, tamen est laudanda voluntas »³; vel si hoc victum sese non det, etiam illud Propertii: « In magnis et voluisse sat est »⁴... 

ADNOTATIONES

- 1 Hoc in prooemio, ut ingenue fateamur, exordium orationis c.t. « De Latinitate recentiore et recentissima » imitati sumus quam habuit professor Sacré in octavo conventu Academiae Latinitati Fovendae, mense Augusto anni 1993.
- 2 LATINITATEM nempe Vaticanam, MELISSAM Bruxellensem, VOCEM LATINAM Saravipontanam.
- 3 Ovidius, Pont. 3,4,79.
- 4 Propertius, 2,10,6.



DE NOVIS LIBRIS

Sigrides ALBERT, Iohannes KRAMER, Wolfgang SCHWEICKARD (edd.), *Miscellanea ad linguam Latinam linguasque recentiores attinentia*, Romania occidentalis, Band 26, Herbipoli (Würzburg), Wissenschaftlicher Verlag A. Lehmann, 1994.

Hoc opere tredecim symbolae scientificae continentur, omnes Latine scriptae de historia, vocabulis grammaticave Latina. Inter quas nominemus textum Sigridis Albert *De antiquis verbis Latinis, quae exeunt in -trix*, Caelestis Eichenseer *De significationibus verborum vulgariter sive simpliciter sive mutatis*, Thomae Pekkanen *De vocabulis Latinis in linguam Finnicorum mutuatis*, Axelii Schönberger *Num pronuntiatum Latinus tempore Caroli Magni mutatus sit*. Ergo varia argumenta, non solum attractiva, sed accuratissime tractata et explicata.

Milena MINKOVA, *Notio verbi rationis ab Ioanne Scoto Eriugena ad Thomam Aquinatem, excerptum e Dissertatione ad Doctoratum (n. 341), Romae, Pontificia Studiorum Universitas Salesiana, 1995.*

Iterum thesis Latine conscripta! Nuper Georgio Di Maria gratulati sumus (cfr Melissam 64 p. 14), nunc Milenae Minkova, quae secundum veterem laudandamque consuetudinem thesin suam doctoralem Latine confecerit. Praebet autem indagacionem lexicologicam, qua comperietis "rationem" non esse rem simplicem; hoc iam statim intellegitur si lexicon evolvimus; sed cogitavistisne iam de "rationis" sensu logico-gnoseologico, epistemologico-cosmologico, methodologico-epistemologico, theologico, glottologico-functionali...?



LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

SEMINARIA LATINA

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

Vavriae (Wavre) in Belgica a die 11 in diem 18 mensis Augusti a. 1995

non longe ab urbe Bruxellis

Scribatis ad: Gaium Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles

FERIAE LATINAE

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..."

Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 27 mensis Augusti in diem 3 mensis Septembris a. 1995

Scribatis ad: Clementem Desessard
Résidence des Collines, C 9
500, Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu

SEMINARIUM ATTICUM

Quamquam hic non agitur de lingua Latina viva, quae nobis praecipue est cordi, institutionem linguae Graecae antiquae nuntiis Latinis libenter adiungimus, quippe quae maxime pertineat ad cultum civilem Europaeum. Sed rem decet Graece nuntiare: ΠΑΡΑΚΛΗΣΙΣ ΠΡΟΣ ΔΙΑΛΟΓΟΥΣ ΕΛΛΗΝΙΚΟΥΣ - Διαλεγόμενοι καὶ περὶ τῶν καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν πραγμάτων καὶ φιλοσοφούντες αὐθις χρῆσθε τῇ φωνῇ τῇ τῶν Πάλαι Ἑλλήνων.

A die 27 mensis Augusti in diem 9 mensis Septembris a. 1995

Scribatis ad: Andream Dreki
Hellenikon Idyllion
GR-25100 SELIANITIKA - EGION

COLLOQUIUM INTERNATIONALE

in honorem humanistae Erycii Puteani (1574-1646) ante 350 annos mortui, fiet in Catholica Universitate Lovaniensi

a die 7 in diem 9 mensis Novembris a. 1996

Scribatis ad: Prof. Theodoricum Sacré
Seminarium Philologiae Humanisticae, K.U.L.
Blijde Inkomststraat, 21
B-3000 Leuven

CONVENTUS INTERNATIONALIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

Tractanda proposita sunt duo:

1. "De relationibus orbis Latini in terras septentrionales antiquis et mediaevalibus"
2. "Quomodo lingua Latina hodie doceatur"

Granivici (v. Jyväskylä) in Finnia a die 6 in diem 13 mensis Augusti a. 1997

Scribatis ad: Prof. Thomam Pekkanen
Jyväskylän Yliopisto
SF-40351 Jyväskylä